

Guil. Morelio, et Rob Stephano, Henrici. fratre, octonis, sed auctum tertio Sapphus odario, et versione Latina noua omnium odariorum Anacreontis, cuius auctor est Helias Andreas,<sup>37</sup> qui eam inscripsit Petro Montaureo,<sup>38</sup> consiliario regio: quae versio Latina anno ante<sup>39</sup> separatim Lutetiae quaternis exierat. Etiam Cantabrigienses reddidere, anno quarto, et octogesimo, superioris saeculi, idem illud Henr. Stephani exemplum integrum, neque mutatum, vt Londinenses annis septem, et viginti, ante, \* duodenis. Nam

37. Christius NN. AA. 2, 11, p. 151. Prius ab Elia Andrea, de quo non habeo, quod dicam, nisi quis me moneat, qui fuerit. Fuit scilicet Burdigalensis, et lite as bonas tum Lutetiae docuit: edidit etiam ibi A. C. 1551. apud Valcofanum librum Grammaticae Graccae Theodori Gazae, qui est de compositione partium orationis, vid. Chronicon rerum Burdigalensium, auctore Gabr. Lurbeo editum, Burdigalae A. C. 1590.

38. De hoc vid. Scaeu. Sammarthanus Elogg. Gallorum lib. 2. c. 14.

39. A. C. 1555. apud Tho Richardum. Epistola ipsa Andreae ad Montaureum haec est. *Petro Montaureo, consiliario, et bibliothecario, regio, viro doctissimo, et clarissimo, Helias Andreas S.* Quod tibi sub discessum tuum nuper ostenderam, me Anacreontis odas, tum animi, tum suli in hoc genere exercendi, causa libenter versurum esse, ita feci. Ad te vero ante omnes ob id praecipue mittendas censui, vt pro ea molestia, quam ex nonnullarum lectione, quas tibi plane rudes, ac vixdum inchoatas, ausus sum ostendere, percipere te oportuit, parem voluptatem, si possim, rependam, totum opus, si non plane perfectum, affectum quidem certe, et aliqua ex parte politum, offerens, atque

adeo consecrans. Res enim cogit me lucrubationem meam, qualiscunque est, nunc in lucem edere. Sed eadem res impedire non potest, quo minus eam expoliam, atque te dignam, vt quidem spero, aliquando tandem efficiam. Tametsi argumentum est eiusmodi, vt apud graues viros nihil leuius videatur, ob idque te minus dignum. Sed venerandam antiquitatem mortalium nemo magis admiratur, quam tu: quo nomine, vt spero, totus tibi placebit festius Anacreon, etiam Latine loquens. Cuius genus carminis praeter reliquas virtutes diligenter secutus sum. Duobus, aut tribus, omnino in locis obscoenitatis teggendae gratia pusillum quiddam immutavi, aut praeterii. Totidem fere locis parum integris mihi diuinandum fuit, nisi non attingere malui. Sed haec ad te pluribus, quam necesse est. Quamobrem finem faciam, vbi te etiam atque etiam rogauero, vt hoc, quidquid est, monumenti summae nostrae in te obseruantiae, ea humanitate accipias, qua me tibi adhuc ita deuinxisti, vt nemini plus debeam. Vale, Lutetia VIII. Calend. Ianuarias.

\* Cantabrigiensis editionis exemplar possidemus ipsi: sed exemplar exempli Londinensis legimus fuisse in bibliotheca cleri Londinensis in collegio Sionensi.